



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XVI. De deposito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

obligatio commodantis, usum illius rei non turbandi aut præcindendi. *L. in commodato. §. sicut. ff. h. t.* Secundò, si sciatur, quod ex circumstantiis colligendum aut probandum (secus, si insciter, quod in dubio præsumendum) commodavit rem vitiosam; tunc enim dolum (qui hic latam culpam comprehendit) & exinde ortum damnum commodatario præstare tenetur secundum dicta supra *L. in rebus. §. item qui. ff. h. t.* Tertiò datur hæc actio contra commodantem ad recuperandas impensas extraordinarias non leves, factas ex necessitate in conservationem rei commodatæ. Bonac.

l. c. d. 3. g. 15. n. 4. Joan. Garcias. *de expensis & melioratione. c. 3. num. 43.* Lauterbach. *h. t. §. 25.* citatis aliis: idem sentire visus de expensis utilibus, remittens ad *L. 25. ff. de pignor. act. & Franzk. h. t. num. 62. in fine.* Quartò, si commodatarius rem perdidit, & pro ea pretium restituit, & dein res commodata in potestatem commodantis venit, datur commodatario hæc actio, ut commodans aut rem ei præstet, aut pretium reddat, ita ut electio sit penes commodatorem tanquam debitorem. *L. 17. §. fin. & l. 2. §. ff. h. t. Franzk. h. t. num. 59. & 60. Zoës num. 18.* quos citat & sequitur Lauterbach. *l. c.*

TITULUS XVI.

De Deposito.

Quest. 200. Quid sit Depositum?

Resp. Depositem sumptum pro ipsa re deposita definitur *L. 1. ff. h. t.* quod custodiendum alicui dictum est. Sumptum propriè, pro ut de eo agitur *h. t.* pro ipsa depositione seu actu deponentis, strictius quidem definitur, quod sit contractus, quo res alteri datur custodienda. Zoës. *h. t. num. 1.* De Lugo, *de 7. §. d. 33. S. 1. num. 1.* explicatius verò definitur, quod sit contractus realis, quo aliquid alteri custodiendum gratis traditur, & ab eo recipitur in eadem specie ad libitum deponentis eidem restituendum. Dicitur primò; *contractus realis.* Lauterbach. *h. t. §. 1.* quia rei traditione & receptione, & non solo consensu perficitur. *§. prætere a Instit. quib. mod. re contrah. oblig. Pirh. h. t. num. 1.* de Lugo Lauterbach. *LL. cit.* & quidem nominatus & bonæ fidei, quamvis ratione rerum depositarum sit strictæ interpretationis Lauterbach. *l. c.* quo aliquid seu res; quænam autem res in particulari deponi possint, dicitur paulò post. Dicitur Secundò: *custodiendum:* intellige, purè, ita ut regulariter non detur ad usum; uti idem etiam contingit in pignore (à quo de cætero differt, quod pignus detur in securitatem debiti, depositum in custodiam) contractum verò in precario & commodato, de quo id empaulò post. Dicitur tertiò *gratis* seu sine mercede; si enim pro custodia merces detur, depositum transire videtur ad contractum locationis vel conductionis, dum depositarius accipiendo mercedem impensæ à se custodia censetur locasse operas suas alteri. *L. 1. §. vestimenta. ff. h. t.* ubi summarium sic habet: depositum dicitur, cum nulla merces pro custodia datur, alias dicitur locatio. Quin etiam, ubi solum quid fuerit tanquam merces pro custodia, posse repeti per conditionem ob turpem causam, ait ex Brunnem, *ad L. fin. ff. h. t.* Lauterbach. *§. 15.* Muller, *h. t. ib. 36. lit. n.* De cætero non obstat contractui depositi, sicut dictum de contractu commodati, datum fuisse vel promissum depositario honorarium; illud siquidem contractibus gratuitis non contrariatur; cum sit voluntaria operarum gratis præstatarum remuneratio; dum è contra merces datur ad æstimationem & compensationem operarum præstatarum. Lauterbach. *l. c.* citato Manric, Muller, *l. c.* citans alios. Dicitur quartò: *traditur:* intellige purè sine ulla datione seu translatione domini aut etiam possessionis. Siquidem; non tantum dominium, sed & possessio; tam naturalis quam civi-

lis remanet apud deponentem, & is pergit possidere per depositarium, & hic nomine deponentis. *L. 17. §. 1. ff. h. t. juncta, L. generaliter. ff. de acquir. possess. & sic effert à mutuo, de Lugo. l. c. num. 3.* Pirh. *l. c.* Lauterbach. *h. t. §. 7. & 16.* Ac ita contingit, dum res simpliciter traditur, non tantum obligata, sed etiam numerata & mensurata, non ut depositarius possit ea uti, sed ut sciat, quantum recipit, & de quo reddere debeat rationem. Dum verò res numerata traditur una cum facultate utendi eà cum obligatione reddendi tantundem, dominium adhuc & possessio manet penes deponentem, donec depositarius facultate sibi concessa utatur; tunc enim transit in mutuum, quo ad eam tamen solum partem, quam consumit, & dum demum dominium transit in depositarium ex tunc cum obligatione reddendi tantundem quando ita volente deponente datur depositum numeratum. Verum tunc fit mutuum fere purum, nisi quod mutuum non possit statim repeti, uti adhuc potest tale depositum, ita ferè de Lugo. Dicitur Sextò: *Recipitur:* nimirum à depositario in custodiam & curam, seu cum voluntate & obligatione custodiendi rem sibi traditam, habendique illius curam. Sicut enim non sufficit ad hunc depositi contractum rem aliquam alteri tradi, aut in ejus domo, illo etiam vidente, deponi, nisi simul declaretur verbis aut factis, id fieri & dicto sine; ita etiam non sufficit alterum utunque rem accipere, sed requiritur, ut animo obligandi se ad rei custodiam recipiat. Quem animum etiam habere censetur, dum videns ac sciens rem ea intentione in ædes suas inferri, seu apud se deponi non contradicit, cujus tamen contrarium sentire videtur Muller. *h. t. ib. 36. lit. ß.* dum ait: et si quis expressè dixerit alteri, se penes ipsum certas res deponere, & recipiens non contradicat, tamen depositum non intelligatur celebratum, neque is, penes quem relinquuntur, de custodia tenetur; cum ex tali reticentia ad consensum inferre hoc casu non liceat, ubi agitur, ut quis personaliter obligetur, & ne damnum fortè incurrat; quin potius tacens contradicenti tunc æquiparatur. Atque ita traditione & receptione non nisi mutuo hoc consensu veluti informata contrahitur depositum, seu perficitur contractus depositi juxta *§. 3. Instit. quib. mod. re contrah. obligat. juncta L. 9. §. 3. ff. de jur. dot. & ita tenent. Molin. de 7. §. d. 522. num. 1.* de Lugo. *loc. cit. num. 1.* Muller *loc. cit. lit. ß.* Lauterbach, *h. t. §. 7.* citatis Bachovio. Mozz. & aliis

aliis contrahitur tamen etiam quandoque implicite depositum, dum res deponitur apud eos, qui ex officio seu professione tenentur ad earum custodiam; quales sunt Nautæ, Capones, Stabularii, eo ipso, quod res iis videntibus, eorum navibus hospitibus, ædibus inseruntur. *l. 1. in fin. & l. seq. ff. naut. camp.* Molin. de Lugo Mull. Lauterb. *l. l. cu.* & apud hos Man. Hunn. Arumæ. &c. quibus licet consentiat Less. de *just. l. 2. c. 27. du. 1. num. 2.* paulò post tamen *num. 10.* de eo dubitat, dum ait: quod nisi specialiter eis rerum cura commenderetur, censeret illos cuicque rerum suarum curam & custodiam relinquere; idque ob accedentium ad eorum naves, hospitia, & inde, recedentium multitudinem, & sic in usu esse. Quin & de Lugo ait de hoc ex circumstantiis judicandum; ut si. V.g. res circumquar in vestibulo, ubi difficilè custoditur, non facilè præsumatur depositum, secus, si in cubiculo designato. Dicitur septimò: *in eadem specie*, hoc est, numero eadem restituenda. Quod intelligendum regulariter; fallit enim in pluribus, ut patebit ex sequentibus. Propter quod, ne strictior tuo definito reddatur definitio, hæc verba omittenda censent aliqui. Dicitur denique: *restituenda ad libitum deponentis* etiam enim depositarius (quo nomine significatur ille, qui rem accipit seu penes quem deponitur, licet quandoque etiam in jure hoc nomine veniat ille, qui rem deponit. *l. 7. §. 2. & 3. ff. h. t.*) rem acceptam usque ad tempus conventum custodire teneatur, ne officium quod semel liberè suscepit ante illud, nisi ex justissima causa deponere possit. Lauterb. §. 17. deponens tamen, cujus gratia dies deposito est adjectus, rem quocumque tempore liberè repetit. *l. 1. §. 5. & seq. ff. h. t.* (nisi tamen depositario concessus esset utis, de quo vide Muller. *l. c. lit. K.* ubi etiam qualiter tunc depositum transeat in mutuum) ita ut etiam si deponens dixisset, se deponere ad mensam, repeti tamen possit in prima statim hebdomade, & tunc reddi debeat. de Lugo, *l. c. n. 7.* Intelligendum tamen id est regulariter, dum plures sunt casus, in quibus fas non est deponenti repetenti depositum reddere, aut etiam in quibus dubitatur, num licitè illud sibi retinere possit. Sic enim reddere illud non debet, dum repetitur in sui vel aliorum damnum. V.g. gladium ad injustè occidendum. Idem videtur, dum repetitur rem suam, non tantum in furore, sed & in ira ad eam destruendam in grave suorumve damnum. Et in genere quando deponens in eam incidit conditionem, ut illi solvere seu reddere non liceat, vel non expediat: ut si sit furiosus, prodigus, hostis patriæ. Lauterb. §. 18. citatis Molin. de *l. 7. de 526. num. 2.* Franzk. *h. t. num. 22.* Quod etiam spectat, si inter bona illius publicata & filco addicta est res illa deposita. de Lugo. *l. c. n. 7.* Lauterb. *l. c.* tunc enim filco restituenda juxta dispositionem juris, etiam secus sit de jure naturali & gentium. Secundò, si dominus unà cum fure rem furtivam, quam fur deposuit, repetat, ea non reddenda furi deponenti sed domino, si constet esse illius. de Lugo *l. c.* secus esse dicit Reiffenst. *h. t. num. 28.* seu reddendam furi, si is, domino non comparente, solus eam repetit juxta *l. 1. §. 5. ff. preda. ff. h. t.* Tertiò, si res furtiva deposita est apud proprium illius dominum. Quartò potest depositarius rem repetitam retinere donec solvantur impenis factæ necessariè in rei depositæ conservatiõem. Molin. *l. c. d. 526.* citatis aliis. Lugo *l. c.*

Quintò posse eam retineri in compensationem occultam sibi debiti à depositario, dum ejus solutio alià viâ obtineri nequit, saltem pro foro conscientie tanquam probabilius censet de Lugo. de *l. 7. de 16. ff. num. 89.* citatis pro hac sententia Less. *c. 27. du. 10. num. 60.* Navar. de *rest. l. 3. c. 2. num. 58.* Tanner. *2. 2. d. 4. q. 6. du. 14. num. 411.* Dian. Tom. 1. tr. 2. *miscell. res. 48.* ad quos accedunt Pirh. *h. t. num. 11.* Laym. *l. 3. tr. c. 9. num. 10.* qui posterior tamen excipit; nisi scandalum timeatur, vel legitimus Judex aliud præcipiat, vel beneficio compensationis renunciet, contra Jo. Medin. Sylvium. Covar. Comitol. qui nituntur *l. bonafides, h. t. & l. ult. C. de compens.* & hac ratione allegata *in l. si quis. C. h. t.* quod cum depositor rem suam commiserit fidei depositarii diligenter custodiendam, donec reperatur; & is eam curam in se suscipit, ageret contra fidelitatem, si postmodum eam repetenti non restituar, sed sibi retineat in compensationem alterius debiti. Quæ tamen jura & quam rationem oppositæ sententiæ AA. procedere dicunt in foro externo tantum, in quo præsumitur debitum alià viâ potuisse recuperari, ac ita servandam fidem depositi. Rationem addit de Lugo, nimirum quod res ex eo, quod deposita, non minùs sit sui domini, quàm erat ante, nec exinde obligatur depositarius ad eam tuendam contra verum dominum, qui eam vult vindicare, vel contra eum, qui habet verum jus ad illam accipiendam, si de eo jure illi constet. Adeoque depositarius possit eam sibi accipere seu retinere, si habet verum jus contra ejus dominum ad recuperandum suum debitum. Atque ex his jam vides & videbis ulterius ex mox dicendis, descriptum esse hic depositum in rigore tale seu purum & regulare.

Quæst. 201. Quotuplex sit depositum in sua latitudine acceptum?

R Esp. Dividitur primò in regulare & irregulare. Mantio, de *rac. & ambig. convent. l. 10. tit. 2. num. 10.* Lauterb. *h. t. num. 2.* Quod idem ferè significant alii, dum illud dividunt in purum & mixtum, de Lugo *d. 33. f. 1. num. 3.* Depositum pro ut jam descriptum est, seu habens ea omnia à nobis jam declarata regulare & purum, ubi verò eorum aliquid deficit, vel aliquid diversi contractus, puta, locationis, commodati, mutui admixtum habet, & sic quodammodo terminos seu naturam depositi excedit, irregulare & mixtum dicendum est. V.g. Dum vas argenteum vel liber deponitur cum permissione vel ea lege, ut depositarius eo uti possit, habet aliquid admixtum commodati, & proximè accedit ad ejus naturam, Lauterb. *l. c.* vel etiam locationis vel conductionis, dum deponens hac ratione concedendo pro custodia usum, depositario, ejus veluti operam condixit. de Lugo *l. c.* quia tamen principaliter custodiæ causâ res tradita, adhuc depositum dicitur. Lauterb. *l. c.* qui etiam ex eo, quod res illa in specie sit restituenda, ex usu juris non referri ad depositum irregulare ait. Item dum res fungibilis seu usu consumptibilis deponitur seu custodienda traditur cum facultate ultroneè à deponente oblata, vel ex post rogante depositario, concessa utendi, si velit, & tantundem restituendi; in quo casu miscetur mutuum. Lugo. *l. c.* Lauterb. §. 3 quin & ut de Lugo. depositum transit in mutuum quò ad illam solant partem, quæ consumpta est juxta dicta *quæst. præced.*

Dum verò res deposita absque tali concessione culpa depositarii perit, ac ita res eadem in specie restitui nequit, ex hoc non desinere esse depositum regulare, dum in ordine ad hoc considerandum non sit, quod per accidens secutum est, nimirum impossibilitas restituendi rem eandem numero ait Lauterb. cit. §. 2. Sic quoque à deposito in specie tali seu puro & regulari deficit sequestrum ex eo, quod res repeti non possit nisi conditione, sub qua deposita, secuta. V.g. victorià Lauterb. §. 17. Porro differentias plures depositi irregularis à regulari vide apud Muller. ad Srru. in ff. h. t. lib. 36. lit. p. & seq.

2. Dividitur secundò in iudiciale & privatum. Azor. p. 3. l. 7. c. 2. Depositum propriè iudiciale est, dum res in iudicio controversa apud aliquem tertium autoritate Judicis deponitur, seu ei committitur custodia, ut lite finita victori restituantur. Quod alio nomine sequestrum necessarium iudiciale appellatur, dum sit parte etiam invita, l. 7. §. fin. ff. qui satisd. cog. unde etiam contractum non esse quia non tantum partes ad hoc compelluntur, ut sit in stipulationibus necessariis, sed etiam res interdum manu militari auferuntur, quamvis tunc ipse Judex cum sequestro contrahere videatur, ait Lauterb. h. t. §. 46. citans Franzk. h. t. num. 4. Huic opponitur sequestrum aliud voluntarium, quo à pluribus litigantibus res litigiosa privata autoritate apud tertium deponitur. De pertinentibus ad utrumque hoc sequestrum vide dicta à nobis. lib. 2. tit. 17. uti & apud Lauterb. §. 14. & seq. Est & alia depositi iudicialis species, de qua Azor. l. c. dum debitor offert creditori pecuniam ei debitam, quam, quia creditor recusat accipere, debitor ad usuras aliasque molestias evitandas consignat Judici. De quo est textus in l. acceptam. C. de usuris. ubi etiam, quod hac ratione debitor à solutione usurarum legitimarum seu interesse solvendo creditori, & periculo casus fortuiti liberatur, & jus pignorum tollitur. Quod tamen, quia non tendit simpliciter ad rei custodiam, sed ad effectum liberationis à debito, non esse hujus loci ait Lauterb. h. t. §. 6. Depositum privatum, dum res non litigiosa privata autoritate apud aliquem privatum, de cuius fide & diligenti custodia confidit deponitur custodienda, subdividitur in voluntarium, quod sit libera voluntate, nulla necessitate impellente; & in necessarium, quod sit ex necessitate aliqua, puta ob imminens periculum belli vel tumultus publici, incendii, naufragii, ruinae l. 1. §. 12. ff. h. t. quod etiam ab alii vocari depositum miserabile, ait Lauterb. §. 5.

Quaest. 222. Quinam esse possint depositores & depositarii?

1. **R**esp. Primò in genere cum communi: celebrare contractum depositi possunt omnes, qui nec naturam impediuntur, nec lege contrahere prohibentur. Lauterb. ad ff. h. t. §. 8. idque sine ulla differentia sexus & potestatis sive patriæ, sive dominicæ. Muller. ad Srru. h. t. lib. 33. lit. b.

2. Resp. Secundò in specie: ut depositor quis esse, seu rem deponere possit, non refert, an dominium & plenum jus habeat, an solùm aliquod præterdat in re deponenda; ut creditor respectu pignoris, quod deponere potest apud alium. l. 9. C. de pignor. act. Muller. l. c. imò qui jus nullum in ea habet, sed fundat se in nuda possessione vel quasi possessione, ut fur & prædo. l. 1. §. 39. l.

31. §. 1. ff. h. t. Muller. l. c. sic etiam procurator habens ad hoc domini mandatum, rem illius deponere potest, quia actione depositi non tenetur, sed quam habet adversus depositarium, domino cedere debet. Sic etiam per alios deponere possumus, & actionem depositi nobis acquirere. Muller. l. c. quem vide. Sic etiam ipse depositarius rem apud se depositam deponere potest apud alium, item pupilli spectata autoritate tutorum ad hunc effectum, ut ipsi teneantur contraria actione depositi, ut Idem citato Molin. de f. & f. Tom. 2. tr. 2. d. 515. num. 2. Item deponere possunt plures, qui si ita deponerint (ut patebit ex tenore depositi) ut unusquisque repetere totum possit in solidum, quisque actionem instituire contra depositarium potest, si autem pro parte solum depositio facta, singulis tantum suum interesse prosequi datur. E contra deportati non possunt; cum fictione juris habeantur pro mortuis. Muller. l. c. quem vide. Et hæc quidem procedunt in deposito regulari; in deposito enim irregulari, ubi usus conceditur, depositores esse non possunt alii, quam qui rerum deponendarum sunt domini, liberam rerum suarum administrationem habentes, quique eadem alienare non prohibentur; cum in hoc deposito transeunte in mutuum, possessio & dominium transferatur in depositarium. Et sic deponere nequeunt pupilli, minores curatorem habentes, prodigi, quibus bonis interdictum, fures, prædones. Muller. l. c.

3. Resp. Tertio: regulare est, quod qui depositum recipere peculiariter non prohibentur, esse possint depositarii, sic esse potest depositarius filius familias. l. 1. §. 42. Et l. 11. ff. h. t. Pupillus auctore tutore, alias non nisi in duobus casibus, de quo vide. l. 2. §. 15. ff. h. t. Muller. l. c. h. t. 7. Item depositaria esse possunt tam in publico, ff. h. t. de Lugo. l. c. & licet moribus inductum in multis locis, ut fœminæ sine curatoris consensu ex contractu regulariter non obligentur; ne fragilitate sexus damnum incurrant: si tamen rem apud se depositam etiam sine curatore receperint, quia tantum requiritur custodia & parum consilii aut accuratioris, ad illam restituendam conveniri possunt. Et sic in praxi servari docent & testantur Carpz. ad l. 1. §. 15. ff. h. t. & alibi cum aliis apud Lauterb. l. c. Depositaria etiam esse potest Eccl. c. 1. h. t. modò tori collegio insinuatum fuerit Muller. l. c. Item apud plures æquè ac apud unum deponi potest. l. 1. §. 42. ff. h. t. Apud dominum res illius deponi nequit, saltem ad effectum ut nascatur actio depositi. l. 31. §. 1. ff. h. t. religiosum sine licentia Prælati servan-tem alienum depositum malè facere dicunt Molin. l. c. d. 325 Laym. l. 4. tr. 4. c. 24. m. 6. Pirh. h. t. n. 15, ubi etiam, quod in Societate JESU prohibitum Præpositis & Rectoribus recipere depositum, maximè pecuniarium; cum non peragant negotia cum consensu Capituli seu collegii. Religiosum tamen non peccare per hoc contra votum paupertatis, si sistat in mero deposito, & nihil juris aut emolumentum transeat in depositarium, censet de Lugo l. c. num. 6. cum Sanchez, &c.

Quaest. 223. Quenam res deponi possint?

1. **R**esp. Primò in genere: res omnes, quæ sub custodiam cadunt, & licet Lauterb. h. t. §. 9. addit; existentes in commercio: videntur tamen ex particulæ redundare; cum res sacræ, puta calices consecrati; casulæ

& similia; imò & SS. Reliquiæ deponi ad custodiam possunt, & ipsa beneficia sequestrari, & tamen sunt extra commercium.

2. Resp. Secundò in specie: deponi possunt primò res propriæ, non tantùm deponentis, sed etiam depositarii penes eundem; cum etiam ac imprimis domini interest rem custodiri. Quamvis hæc frustra apud dominum illarum deponantur; cum is depositi nomine rem suam sibi traditam alteri tradere non teneatur. *l. bona. §. 1. & l. qui rem. ff. h. t. Lauterb. §. 11.* quem etiam eo ipso, quòd rem, quam scit esse suam, à deponente traditam accipiat, recuperare ejus possessionem, si fortè eam amiserat, asserit Wiestn. *b. r. n. 6.* cum Haunold. *Tom. 4. de f. & f. r. 10. n. 819.* Unde bene dicit Mull. *ad b. r. th. 35. lu. e.* depositum rei propriæ, licèt is qui suscipit custodiam, ignoraverit, se esse illius dominum, non subsistere. *l. 15. ff. h. t.* & dum res sua alicui tanquam aliena traditur, depositum nullo jure subsistere. Unde etiam si dominus ignorans rem suam restituerit quasi depositum, possit condicere tanquam indebitum solum. *l. 31. in fin. h. t.* in tantum tamen posse fieri rei propriæ depositum, ubi penes alium est ejus possessio; tunc enim nihil impedire, quò minus quis rem propriam asserendam recipit respectu possessionis illius penes alium existentis. Secundò etiam res alienæ, seu quæ non sunt propriæ deponentis deponi possunt. *l. 1. §. 39. d. 3. ff. h. t.* Et sic in specie res debitoris oppignorata creditori & deposita, à depositario apud alium deponi potest. *l. 16. ff. h. t. Lauterb. §. 9.* Item res furtivæ à fure deponi possunt ad custodiam. *l. 1. §. 39. ff. h. t. Muller. l. c.* ita etiam ut depositarius nolentem restituere convenire fur possit actione depositi. *l. 69. de judic. Muller. l. c.* dum autem, ut dictum supra, ea, etiam à seicente esse furtivas, reddendæ furi, dum is solus non comparet domino, eas repetit, supponitur eas deponi posse. Tertiò res fungibiles, ut triticum, vinum &c, quamvis dum eorum usus conceditur, & in genere restituenda veniunt, egrediantur terminos contractûs depositi secundum dicta. Quartò pecunia, tam ob signata quam non ob signata ad numerum dari & deponi potest. De quo satis dictum quæst. ante hanc 3. Quintò cista obliterata & signata deponi potest, quæ deposita singulæ res inclusæ, licèt depositario non fuerint demonstratæ, tamen depositæ videntur. *l. 1. §. 41. ff. h. t. Lauterb. §. 13. Mant. de tac. & ambig. convent. lib. 10. ut. 5. n. 3 & 7.* quamvis de rebus inclusis regulariter non teneatur depositarius respondere, nisi ostensæ illi prius, cum cista deponeretur; ita ut non sufficiat dictum ei fuisse à deponente quid cista contineat; cum depositarius aliàs non teneatur nisi ex sua scientia. Lauterb. *l. c.* citans Mevium. *p. 9. decis. 54. n. 8. & decis. 55. per tot.* qualiter verò, dum depositarius cistam etiam bene clausam & ob signatam recipiens, & dein restituens apertam & resignatam, præsumatur dolus, & an, & quale juramentum tunc admittatur, vide apud eundem. Sextò deponi possunt res sepe moventes, servus aliusvè homo, equus, bos. *l. 1. §. ff. h. t. Lauterb. n. 10. Muller. h. t. th. 35. l. 1.* Et sic puella, quam duo adolescentes ambiunt, quòrum uterque sibi ab ea matrimonium præterdit, in domo honesta, donec lis finiat, sequestranda dicitur. *c. 14. de sponsal. Gail. l. 1. obs. 112. n. 15.* sic etiam in Camera Imperiali pronuntiatum esse dicens. Septimò res immobiles, puta domus, hortus. V.g. à peregre proficiscente deponi apud aliquem possunt. Perez. *in Cod. h. t. n. 3. de Lugo. cit. d. 33. f. 1. num. 2. Haunold. l. c. n.*

815. Wiestn. *b. r. n. 5.* Muller. *cit. th. 35. lit. 8.* id fusè probans. Lauterb. *h. t. §. 10.* Arg. *l. 1. ff. de peric. & commod. rei vend. l. 6. l. 18. ff. h. t. c. 1. de sequest. possess.* & quamvis nullus in specie textus de immobilibus loquatur, quia rarius accidit, quòd deponantur, sufficit tamen, quòd non prohibeantur deponi, ut Lauterb. *l. c.* admittanturque custodiam, eaque egeant, non quidem, ne ipsa furto auferantur, quòd fieri nequid, quia immobilia, sed quia, nisi custodiantur, etiam sine furto, incendia, devastationem pati, aut etiam sine vi corrumpi & minui possunt, & deteriorari. V.g. subreptis januis, fenestris, seris ædium, evulsis plantis, rescissis arboribus. Ad hæc, ut constat, in sequestrationem veniunt. de Lugo. Lauterb. *LL. cit. quæ,* si voluntaria est, species univoca depositi est. Neque obstat, quòd loco moveri, & in manus tradi nequeant; cum depositi natura potius in rei ad custodiam commendatione consistat. *l. Lucius. ff. h. t.* quàm in physica tali traditione in manus. quin & in sensu à jure approbato tradi possunt. *l. stipulationes. ff. de V. O.* De cætero accessoria depositi. V.g. Capistrum equi, vestis servi, etsi in ipsa depositi restitutione & horum habenda sit ratio, non censentur deposita. *l. 1. §. 5. ff. h. t. Mev. p. 2. decis. 54. Lauterb. §. 12. Muller. l. c. lit. 1.* & ideo actione depositi separatim & singulari repeti nequeunt.

Quest. 224. An & quando depositarius re apud se deposita uti possit?

Resp. Præter ea quæ de hoc dicta in antecedentibus, regulariter seu per se loquendo, non potest sine peccato injustitiæ uti re deposita; quia regulariter non est ei usus concessus, sed commissa tantùm custodia. de Lugo. *l. c. num. 4.* quin & si sine tacito vel expresso deponentis consensu eâ utitur, furti tenetur. *l. 29. ff. & l. 3. Cod. h. t. & ibi Brunnem.* qui tamen addit, ibi sermonem non esse de pœna furti criminali & ordinaria, sed de actione & pœna dupli, de qua infra. Lauterb. *h. t. num. 3. Pirh. h. t. num. 2.* dixi regulariter seu per se loquendo: nam excipitur primò, seu depositarius potest uti re deposita, si deponens usum concessit, vel explicitè ab initio, vel ex post factò rogante depositario. Quo calu, si res est usu consumptibilis ut pecunia, triticum, vinum, eo ipso, quo uti capit depositum transit in mutuum, adeoque dominium illius in depositarium transit, isque efficitur mutuatarius. *l. 9. §. fin. & l. 10. ff. de reb. cred. & l. 1. §. 34. ff. h. t.* vel in commodatum, si res non est usu consumptibilis. Less. *l. 2. de just. c. 23. num. 6.* Pirh. Lauterb. *LL. cit.* Idem est, si usum concessit tacitò, uti censetur factum, si pecuniam numeratam, & non ob signatam deposituit. Azor. *p. 3. l. 7. c. 7. q. 8.* Pirh. Lauterb. *LL. cit.* Muller. *h. t. th. 36. lit. 8.* qui tamen posterior cum Brunnem. *in l. 3. C. h. t.* ait, in hoc casu non esse concessum usum pecuniarum, si talia sint nummorum corpora, in quæ ob antiquitatem: bonitatem, memoriam cadit affectio. Excipitur secundò, dum depositarius bona fide existimat, deponentem non esse rationabiliter invitum, si re deposita hic & nunc uratur. Molin. *l. c. d. 524.* Azor. de Lugo. Less. Pirh. Lauterb. *LL. cit.* Limitat tamen aliquantulum de Lugo, dum ait, non censeri pecca-

peccatum grave, si depositarius rem consumptibilem usu consumeret, dum certus, se tantundem æquè bonum in promptu habiturum reddendum deponenti ad ejus repetitionem. Addit etiam Lefsius, adhuc non peccaturum, si erroneè seu deceptus putavit deponenti non displiciturum usum suæ rei; debere tamen postea eidem volenti compensare pro usu. Quod posterius tamen de Lugo sic limitat, ut procedat, si depositarius ex tali usu sit factus ditior, secus, si non est factus ditior; tunc enim ad nihil restituendum eum teneri ait, sicut nec alium, qui rem alienam bona fide consumpsit.

Quæst. 225. Quenam ex deposito nascatur obligatio?

Resp. Ex hoc contractu principaliter obligatur depositarius ad rem custodiendam, & regulariter eam in specie restituendam, quodocunque deponenti placuerit juxta dicta in antecedentibus; ubi tamen solum conventum inter deponere volentem, & eum, qui rem recepturus est, de custodia, obligatio nulla ob defectum traditionis (quæ spectat ad essentiam & formam hujus contractus) necdum secuta, adeoque consensione illa quasi in suspenso manente extra depositum nil nisi pactum nudum est, ex quo in foro civili obligatio & actio prodita non reperitur, unde depositarius (intellige designatus) postea pœnitere & custodiam recusare potest; cum contractus re seu rei interventu nondum sit perfectus; ita ferè Muller. *ad Siru. in ff. h. t. th. 36. lit. 6.* Porro ubi à deponente certum tempus adjectum, obligatur depositarius ad illud non præveniendum, seu ante illud elapsum dimittere à se rei custodiam Lauterb. §. 17. secus est, si simpliciter sine expressione temporis rem suscepit, potest enim tunc officium semel susceptum deponere, & rem deponenti, etiam eo invito, restituere, nisi fortè in tempestiva restitutione videretur fidem fallere. Muller. *loc. cit. th. 37. lit. 8.* aut etiam damnum deponenti per hoc causaret. Estque hæc obligatio ad restituendum ita comparata, ut depositum una solutione, & non per partes, deponente invito, reddendum; nisi fortè pro solido restitui nequeat. Muller. *loc. cit. juxta l. si duo. ff. h. t.* Extendit se hæc obligatio ad restituenda etiam omnia accessoria una cum re deposita, ad quam accesserunt. *L. 1. §. 14. ff. h. t.* unde omne lucrum, quod ex pecunia deposita, cum qua fortè negotiatus est, aliudve quid egit depositarius, deponenti restituendum. Muller. *loc. cit. lit. 1.* cum Gl. in *l. si is qui. ff. commodati*; cum, ut Idem, hic contractus sit bonæ fidei, cui consentaneum est, ut ad quem res ipsa spectat, ad eum quoque singula rei emolumenta perveniant. Arg. *l. 1. §. 13. ff. h. t.* nisi periculum seu casus fortuitus spectet ad depositarium; tunc enim lucrum, quod ex re deposita suâ industriâ percepit, sibi servare potest. Mull. *ibidem* cum Mantie. *de tac. & ambig. convent. l. cit. 6. à n. 4.* Obligatur quoque ad usuras, quæ causantur ex mora illius, dum interpellatus redditionem depositi differt. *l. 2. C. h. t. l. 29. §. 1. ff. eod.* Mull. *loc. cit.* ad modum aliorum bonæ fidei judiciorum, in quibus usuræ ratione interesse ex mora præstantur; ad quid verò teneatur ratione custodiæ, dicitur *quæst. seq.*

Quæst. 226. Qualem diligentiam adhibere

re, & ex qua culpa teneatur depositarius, dum res apud ipsum perit, aut deterior facta?

1. Resp. primò: Depositarius in re custodienda tantam diligentiam adhibere debet, qualem suis rebus custodiendis adhibere solet. *L. quod Nerva. ff. h. t.* & non majorem, etiam aliàs in rebus suis custodiendis sit parum diligens, aut etiam negligens. Muller. *h. t. th. 37. lit. 2.* citans *l. 32. ff. h. t.* & *c. ult. h. t.* quo posteriore loco de hoc nihil; unde si hac diligentiam adhibita, res deposita apud illum perita, securum illum esse posse, & depositorem sibi suæque illitati imputare debere, quod homini negligenti rem custodiendam tradiderit, ait Muller. citans §. 3. *Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* & Schneidevvin. *ibid. num. 16.*

2. Resp. secundò: Depositarius, dum res apud illum deposita in solius deponentis gratiam & utilitatem, uti regulariter contingit, & hinc non tam arctam & diligentem sui custodiam ab eo exigit, non nisi de dolo (qui, v. g. præsumitur commissus, seu bona fides abesse, si rebus propriis salvis res deposita in eodem loco existentes sunt amissæ, ut dicitur *c. 1. h. t.*) & culpa lata seu crassa (quæ nomine doli comprehenditur & dolo præsumptivè æquiparatur. *cit. L. quod Nerva*; & qualem, v. g. commississe censetur, dum rebus suis diligenter in arca clausis, res depositas reliquit palam in scamno jacere, & ideo amissæ) regulariter tenetur. De Lugo *de §. & §. d. 8. §. 9. num. 116.* Pirh. *h. t. num. 3.* cum communi juxta *l. 1. C. h. t. junctâ Gl. v. culpam. l. 1. §. fin. ff. h. t. & l. 1. §. is quoque. ff. de act. & oblig.* & juxta generalem regulam, quod in contractibus, qui celebrantur gratiâ dantis, tantum præstetur dolus & culpa lata. Unde dum res apud depositarium perit aut deterioratur levi vel levisimâ culpâ, ad damnum refarciendum non tenetur. Pirh. *h. t. num. 4.* cum communi. Porro dolus, etiam sit difficilis probationis ut Mascard. *de prob. concl. § 31. num. 1.* quippe consistens in animo, & hinc directè non probabilis, allegatus tamen à deponente probandus est, ut Molin. *Tom. 2. tr. 2. d. § 27. à num. 1.* Carp. *l. 5. respons. jur. cit. 2. resp. 13.* Muller. *loc. cit. lit. 9.* & alii passim, nimirum conjecturis & præsumptionibus seu indiciis, iisque perspicuis. Mascard. *loc. cit. n. 2.* & 7. juxta *l. dolum. C. de dolo malo*; id est talibus, ut non possint accipi, nisi in malam partem. Castrensi. *in cit. L. dolum. num. 1.* Mascard. *cit. num. 7.* Et quamvis dolus non præsumatur, & quanam sint indicia perspicua & sufficientia ad eum probandum, relinquendum sit arbitrio Judicis. Mascard. *loc. cit. num. 10.* Arg. *l. 1. ff. de jur. deliber. dantur tamen casus, in quibus jus ipsum præsumit dolum.* Talis casus est in *c. 2. h. t.* de quo paulò ante. Item à jure præsumitur dolus, dum actus, ex quo alteri damnum sequitur, est illicitus & simpliciter prohibitus. *c. 1. de præsumpt. junctâ Gl. fin. l. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Siccac.* Masc. *loc. cit. concl. § 32. num. 10.* & 50. Fagn. *in c. ex conscientia. de crim. falsi. num. 12.* Item jure præsumitur dolus, dum quis non facit id, quod facere debebat. *L. si Procuratorem. §. dolo ff. mandati. l. dolum est. ff. eod.* & ibi Bartol. *in summar.* & sic depositarius hoc ipso dolo facere censetur, quod rem reposcenti non reddat, dum redere potest. *L. 1. §. est autem. ff. h. t.* Menoch. *de arb. cas. 208. num. 35.* Mascard. *loc. cit. num. 24.* & 149. apud quem

quem plures præsumptivè probandi solum modi videri possunt. De cætero, quantum ad propositum præiens, ut teneatur depositarius ex dolo, idem est, sive dolus interveniat re ipsa, sive ex proposito.

3. Dixi in respons. *Si in solus deponens gratiam res recepta, si enim recepta in utriusque gratiam, ut si depositarius mercedem seu stipendium accepit pro custodia, tenetur ex culpa levi. c. 2. h. t. l. 1. §. si vestimentum. & §. si servum. ff. h. t. de Lugo loc. cit.* (ubi etiam, si recepta in solius depositarii gratiam, teneatur de culpa levissima) Pirh. *h. t. n. 5.* Muller. *h. t. th. 37. lit. u.* ubi: De levi culpa tenetur depositarius, quando proprium interese versatur, & aliqua utilitas ex deposito ad ipsum redundat juxta *l. 9. §. 2. ff. commodati.* unde potius ex mente alterius loqui videtur, dum lit. λ præmittit, quòd etiam si modica merces, seu potius honorarium constitutum fuerit, nihilominus depositarius tantum ad præstationem doli & culpæ lata teneatur citans *L. 9. ff. mandati. & Mantie. de tac. & ambig. convent. l. 10. tit. . . num. 13.* quin & nautæ (idem est, de aurigis, qui merces resque alias pro mercede deportant) stabularii item & caupones, ratione officii ex culpa levissima tenentur. De Lugo *l. c.* Muller. *l. c. lit. v.* juxta *l. 3. §. 1. ff. nauta caup. stabul.* idque salubriter constitutum, ut illorum hominum fraudibus obviiaretur, & viatorum securitati consuleretur.

4. Dixi etiam regulariter non teneri nisi de dolo vel culpa gravi, dum depositio fit in solius deponens gratiam; nam patitur hoc ipsum exceptiones. Primo enim tenebitur de culpa levi, si ita conventum cum eo, ut etiam culpa levis præstetur. *l. 1. §. si conventat. & §. sape. ff. h. t.* Siquidem, ut ibi dicitur: Contractus ex conventionem legem recipiunt. Secundum ex culpa levi tenentur si depositarius ultro & sponte se obtulit ad depositum recipiendum. *L. 1. §. sape. ff. h. t.* Pirh. Mull. *LL. cit.* eò quòd tunc depositarius ita tacite convenisse, & ad diligentiorum custodiam, quam qui non nisi rogatus depositum suscipit, se obligasse censetur. Unde pro cautela monet Muller. ne quis in recipienda custodia rerum alienarum nimis civilis sit, ultroneè se ad illam offerendo. Quinimò teneri illum in hoc casu ex culpa etiam levissima, tenet Abb. *in c. 2. h. t. num. 3.* item Bartol. *in cit. l. 1. §. sape.* colligiturque hoc ipsum ex eadem leg. Pirh. *loc. cit.*

Quæst. 227. Qualiter ad casus fortuitos teneatur depositarius?

RESP. Ad eos præstandos regulariter non tenentur, ne quidem, ubi se sponte obtulit ad depositum recipiendum, ut Muller. *l. c. lit. i.* item nautæ, stabularii, et si aliis teneantur ex culpa levissima, non tamen, dum hac tantum culpa præcedente, res eis commissa damno fatali, seu casu fortuito perit. Pirh. *h. t. n. 6. in fine.* Wiestn. *n. 12.* Dixi tamen; regulariter, nsm tres casus excipiuntur. Primus, dum sic conventum seu pactatum. *c. 2. h. t. l. 1. C. h. t.* Pirh. *l. c.* Secundus, si præcessit dolus vel culpa crassa casum fortuitum. *cit. c. 2. l. 1. §. si rem. ff. h. t.* Tertius, dum in mora culpabili post repetitionem reddendi depositum fuit depositarius. *cit. c. 2. l. 1. ff. in Asia. §. fin. ff. h. t.* Sic etiam ait Muller. *l. c. lit. v.* moribus nostris, qui rem depositam vendidit, eamque postea in causam depositi redemit, de subsecuto ejus interitu casuali tenetur; citat pro hoc *l. 1. §. 16. C. h. t.* Brun. *ad Lauterb. & c.* Porro depositario afferenti, depositum fortuito amissum, incumbit probatio. Arg. *l. si creditor. C. de pignor. Gl. pen. R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.*

ult. in §. fin. Inst. quib. mod. re contrab. oblig. nisi de facto. V. g. incendio domus hostium irruptione constaret. Dum autem res dicitur amissa per casum fortuitum occultum. V. g. per furtum noctu commissum, probatur per conjecturas. V. g. quòd cista, in qua res deposita, fuerit effracta. Abb. *in c. 2. h. t. n. 8.* Pirh. *h. t. n. 3.* Malc. *de probat. concl. 88. n. 9.* Dum autem constat de casu fortuito, aut is probatus fuit, probandum est insuper, illum. V. g. incendium accidisse citra culpam depositarii, si casus fortuitus est ex illis, qui raro contingunt sine culpa. V. g. incendium, furtum in propria domo, secus, si est ex illis, qui regulariter & ut plurimum sine culpa evenire solent. V. g. inundatio aquarum, in his enim culpa abesse, in aliis adesse præsumitur. Abb. Pirh. *LL. cit.*

Quæst. 228. An dum res deposita penes Canonicum vel religiosum, ejusdem dolo vel lata culpa perit aut deteriorata, Ecclesia vel monasterium teneatur damnum resarcire?

RESP. Non tenetur, nisi ex ea re aliquid ad Ecclesiam vel monasterium pervenit, aut in ejus utilitatem conversum fuit, prout expresse deciditur. *c. gravis. h. t.* Ratio prioris est; quia ex una parte in hoc casu Ecclesia vel monasterium non fuit depositarius (qualis quia est, dum Prælatus unà cum Capitulo vel Conventu rem in fidem suam & custodiam recepisset, non secus ac alii depositarii obligatur) ita etiam, ut deponens necesse non habeat probare, rem penes Ecclesiam depositam in ejusdem utilitatem conversam, uti id requiritur in contractu mutui cum Ecclesia inito. Innoc. *in c. 1. h. t. n. 1.* Molin. *de 7. & 7. tr. 2. d. 525. n. 4.* Laym. *in disp. Can. de reb. Eccl. alien. th. 108.* Pirh. *h. t. n. 13.* ex altera parte depositarius non obligatur ex deposito nisi ratione delicti, nimirum doli vel culpæ crassæ commissæ circa custodiam illius; jam verò delictum particularis personæ seu membri redundare non debet in detrimentum Ecclesiæ seu communitatis, juxta *Reg. jur. 76. in 6.* Ratio verò exceptionis illius est, quòd nemo debeat locupletari cum injuria alterius juxta *l. nam hoc. ff. de condit. indeb.* locupletaretur autem Ecclesia cum injuria facta deponenti, si non teneretur restituere res depositas apud ipsius Canonicum vel Religiosum, ubi hæc conversæ in ejus utilitatem. Ac consequenter illa restituere tenetur non secus ac Prælatus, pater, dominus, dum ex contractu religiosi, filii, servi, aliquid ad ipsos pervenit, seu versum in eorum utilitatem, tenentur restituere, et si ex eorum contractu sine suo mandato expresso vel tacito celebrato non tenentur restituere. *L. 1. & 3. §. in rem autem. ff. de in rem verso.* Pirh. *num. 12.* cum Laym. *l. 3. tr. 4. c. 27. num. 3.* De cætero procedit responsio, etiam si Clericus vel religiosus cum consensu sui Prælati, vel etiam ipse Prælatus sine tamen consensu Capituli recepisset depositum; quia per hoc Ecclesia adhuc facta non est depositaria, neque delictum depositarii illi imputari, aut in ejus detrimentum cedere debet Less. *l. 2. c. 27. num. 12.* Molin. *l. c. num. 3.* Laym. *l. c. c. 25. num. 6.* quos citat & sequitur Pirh. *h. t. num. 13.* Contrarium tenente Wiestn. *h. t. n. 19.* citante pro hoc Gl. *in c. 1. h. t. v. personæ.* Imol. *ibid. n. 5.* Sanch. *l. 6. mor. c. 14. n. 35.* qui tamen locus apud Sanch. non reperitur, adeoque malè citatus videtur. Porro tamen constaret rem in hoc casu non fuisse

R

depo-

depositam penes Ecclesiam, adeoque eam non teneri ad restitutionem, qualiter tamen & cur adhuc locus sit compositioni amabili seu transactioni (quæ aliàs fieri non debet, nisi super re dubia seu lite incerta) nimirum Pontifice in *cit. c. 1.* sic suadente, adeoque specialiter concedente (cum aliàs Prælati renunciare non possit exceptioni in tali casu competenti Ecclesiæ) vide apud Pirh. *b. t. num. 15.*

Quest. 229. An potestas laica cogere possit Clericum ad restituendum depositum?

R Esp. Non convenire in hoc AA. clericum interpellatum, differentem reddere depositum posse compelli à Judice Laico ad illud restituendum, quoties se in tribunali Judicis secularis ad hoc obligavit, tenent Bald. Salicet. Jason. Aufrelius. Farinac. Tusch. Gutt. Salgad. & plures alii citati à Delben. *de immunit. Eccles. c. 4. du. 21. num. 1.* hac potissimum nixi ratione, quòd renuens seu differens reddere depositum non tantum teneatur actione civili, sed etiam ut fur, spoliator & turbator coercendus, notamque infamiam incurrat. *L. qui furtum. ff. de condit. furti. L. si sacculum. ff. b. t. §. l. 3. C. eod.* deponens interim maneat in possessione naturali & civili, dum se non habet pro spoliato, ac proinde causa hæc sit possessoria, possessionis nimirum retinendæ vel recuperandæ, si ac spoliatus à depositario, ac consequenter contra illum remedia possessoria possint intentari fitur contra quemlibet furem, si dominus velit, civiliter agere; atque ita per Judicem etiam seculari, cujus munus sit, ne violenta spoliationes fiant impedire, ut Afflicti in §. sed & furti. *Inst. de action. decis. 24. n. 3.* inde deducens, posse per eum cogi Clericos ad fidem depositi servandam; & sic, dum depositio facta autoritate, beneficio vel provisione Judicis Laici, ejusdem officii sit, detentionem, quâ illud depositum detinet, revocare. Nihilominus contrarium docent Bellet. in *Disquis. Cler. p. 1. tit. 3. n. 37.* Bonac. *de LL. d. 10. q. 2. p. 1. §. 1. n. 26.* Ambrosin. *de immunit. Eccl. c. 20. n. 53.* Duard. in *Bull. can. l. 2. can. 15. q. 11. n. 56.* Surd. *l. 2. conf. 369. num. 33.* Ricc. *resol. 505.* Marth. *de jurisd. p. 4. centur. 2. cas. 104. n. 4.* Cavall. *tr. de cognit. per viam. viol. p. 2. q. 26. n. 16.* & alii, quos citat & sequitur Delben. *l. c. n. 3.* quorum duos posteriores ait admittere, adversariorum sententiam esse probabilem, quò ad causæ cognitionem, non tamen admittere illam quò ad executionem; & sic Judicem Laicum posse declarare, quòd persona ecclesiastica debeat depositum reddere, non posse tamen hujus suæ sententiæ executionem contra illam exercere. Ut id ipsum probabile esse ob dictos adversariorum rationes ait Delben. *num. 11.* De cætero quòd spectat ad pœnam, quæ propter depositi negationem incurritur ab Ecclesiastico, item quatenus spectat ad criminalem animadversionem pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, consentire omnes dicit Idem *n. 12.* Neque his obstat, quòd dicit Papa *c. 1. h. t. illum iniquum Clericum* (intellige, negantem depositum) *sub questionibus ponant. etiamsi oportuerit vinculis allegatum:* Nam licet exinde deducant Abb. in idem *c. n. 7.* Clarus *§. fin. q. 64. n. 24.* talem Clericum jure torqueri posse, aliis negantibus ibi agi de tortura, sed verba illa: *Sub questionibus idem quòd interrogationibus* denotare, & verbis: *Vinculis alligatum:* significari, eum carceris & vinculorum coercitione com-

pellendum ad restitutionem, ut Barbof. in *cit. c. n. 7.* & Gonz. *n. 3.* apud Wiestn. *b. t. n. 20.* nihil tamen ibi dicitur de tali executione faciendâ per Judicem seculari; cum etiam hæc fieri possint per Judicem Ecclesiasticum.

Quest. 230. An depositarius in periculo naufragii, incendii &c. possit præferre res proprias alienis apud se depositis, dum utrasque eripere nequit?

R Esp. Satis de hoc dictum ex de Lugo supra *tit. preced.* eadem enim ferè omnia, quæ hoc in puncto dicta de commodatario, applicari possunt depositario, reflectendo tamen semper ad hoc, quòd depositarius, quia nihil utilitatis percipit ex deposito, non obligatur ad talem tantamque diligentiam circa custodiam rei depositæ adhibendam ad quantum obligatur commodatarius. Vide etiam Pirh. *b. t. num. 16.*

Quest. 231. Qualis ex deposito pariatur & competat actio deponenti?

R Esp. Oritur ex eo actio duplex, directa & contraria. Directa est actio personalis competens deponenti adversus depositarium ad rem depositam recuperandam, §. 3. *Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* estque civilis. Mull. *ad Stru. in ff. b. t. th. 38. lit. a.* Lauterb. *ibid. §. 10.* bonæ fidei. §. 28. *Inst. de act. AA. iidem;* perpetua. *l. 8. ff. b. t. iidem;* & regulariter rei prosecutoria. §. 17. *Inst. de act. interdum per accidens pœnalis mixta. l. 1. §. l. 18. b. t. iidem;* interdum famosa. *l. 1. ff. de his qui not. infam. l. 10. C. h. t. dum is, qui moratur reddere depositum, patitur se per Judicis sententiam ad restitutionem compelli & condemnari, per hoc infamiam redditur. Muller l. c. ut 6. Lauterb. l. c. unde etiam, ut iidem, cum Carpz. *p. 4. conf. 45. de fin. 10.* & aliis ex collegio opificum excludi potest. Limitat hoc ipsum Lauterb. *l. c.* modò in specie ob dolum & perfidiam (quo nomine denotatur non dolus simplex, sed is, qui rupta fide committitur, ut propterea improbus & iniquus dicatur) condemnatus sit, ita ut in ipsa sententia perfidiæ fiat mentio *l. 6. §. 2. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* Item, ut Muller. modò condemnatur nomine proprio tanquam depositarius, & non alieno nomine tanquam procurator, tutor aut curator depositarii. *L. 10. C. h. t. & cit. l. 6.* habetque hæc infamia locum non nisi post condemnationem. Mull. *l. c.* citans Stryk. *de cautel. contrab. sect. 2. c. 3. §. 14.* quam ut evitet depositarius, sollicitum esse eum debere, ut ante sententiam tranfigat cum deponente, vel ei privatim satisfaciatur, vel dolum purget, vel clausulam famæ reservatoriam sententiæ inseri impetret à Judice, monet Muller. *l. c.* Porro cum hac actione plures aliæ sæpe concurrunt; de quibus vide Mull. *th. 42. lit. n.* Competit hæc actio principaliter ipsi deponenti, non attenta patria potestate. *l. 9. ff. b. t. & si plures rem deposuerint communem, competit singulis pro rata. l. 1. §. 4. l. 17. ff. b. t.* Muller. *loc. cit. th. 39. lit. a.* Lauterb. §. 21. nisi, ut iidem juxta *cit. §. 44.* cum Mantic. *de tac. & ambig. convent. l. 10. tit. 7. n. 1.* conventum sit contrarium, nimirum ut singuli in solidum agere possint, & cuius deponentium, etiam reliquis absentibus, restitui possit; quale pactum adici suadet Mull. ne aliàs repetitio depositi reddatur difficilis, dum fortè rarò contingeret omnes præsentibus esse. Competit quoque ea hæredibus deponentis, & si sint eorum plures, singulis cum proportione hæreditatis.*

ditatis. *L. 1. §. 36. ff. h. t. Lauterb. §. 22. Muller. l. c. lit. v. ita ut, si res deposita sit individua, uni eorum petenti, si idoneam cautionem præstet de eo, quod supra suam sortem accepit, tota restitui possit. L. 14. ff. h. t. & ibi Castrenf. & Salicet. Carpz. l. 5. resp. 14. n. 10. Mantic. loc. cit. n. 2. Mull. loc. cit. lit. s. Lauterb. loc. cit. Si verò res fuerit dividua, uni hæredum petenti, etsi cautionem offerat sufficientem, restitui non debet. Arg. l. 1. §. 36. ff. & l. fin. C. h. t. Mull. l. c. cit. s. Lauterb. cit. §. 2. ubi is secus esse ait, seu totam restituendam, si major pars hæredum, cui nimirum pars major hereditatis competit, petat, & convenientem cautionem præstet, pro qua citat l. 14. ff. h. t. Mantic. cit. n. 2. Salicet. Castrenf. & alii. De cætero, quòd si ea uni eorum etiam caventi, reddita, reliqui cohæredes habent contra depositarium actionem depositi ad suas portiones petendas; uni tamen, etiam non caventi, suam portionem reddere debet. Arg. cit. §. 36. junctâ l. fin. C. h. t. AA. iidem LL. cit. cum Carpz. cit. resp. 14. & Donell. in cit. l. fin. num. 1. quam partem retinet, & nihil ex ea communicare tenetur cohæredibus, dum reliquæ partes apud depositarium pereunt, aut is ex inopia reliquos hæredes excludit. Mull. loc. cit. lit. §. juxta l. fin. C. h. t. & ibi Donell.*

Quæst. 232. Contra quem competat actio depositi?

Resp. Competit ea contra depositarium l. 16. §. 21. §. 1. §. 14. ff. h. t. quòd si apud plures quis deposuerit, & omnium fidem in solidum secutus sit, datur actio depositi contra singulos in solidum. *L. 1. §. 43. ff. h. t.* Si autem fidem singulorum in solidum non est secutus, sed communi periculo apud plures deposuit, singuli pro rata tenentur, nisi singuli dolum commiserint; tunc enim contra singulos in solidum agi potest. Lauterb. §. 26. remittens ad Salicet. & Castrenf. in cit. l. 1. §. 43. Datur quoque contra hæredes depositarii, qui si plures sint, pro portione hereditatis, in solidum verò tenentur ex dolo defuncti; etsi enim ex delictis defuncti aliàs non tenentur hæredes, nisi in quantum ad eos pervenit; aliud tamen est, ubi ex contractu vel rei perfectione descendit. *L. 7. §. 1. ff. h. t. Mull. l. c. citans Franzk. h. t. n. 103.* Quòd si hæredes ex dolo suo conveniantur, is, qui dolum admisit, in solidum tenetur si plures dolum commiserint in partes solum obstricti erunt, dum res est dividua, in solidum, dum est individua. *L. 22. §. duo. ff. h. t. uti etiam, si res divisibilis quidem, sed divisa non retinet nomen & formam. V. g. Lanx. Mull. l. c. Si verò res restitui nequit, sed agatur ad æstimationem, & singuli hæredes sint solvendo, ad partem agi potest contra singulos. Mull. ibid. citans Carol. Molina. de divid. & individ. p. 3. n. 245.* Id verò speciale est, quòd in deposito miserabili (quale est, dum ingruente v. g. incendio, tumultu, naufragio, ruina similivè casu fortuito sine præelecta voluntate ex mentis consternatione apud aliquem res deponitur; sic dictum, quòd deponens miserè affligitur, dum non habet satis temporis ad eligendum vel certum locum vel personam & ideo misericordiâ dignus. Mull. l. c. th. 42. lit. a. cum Harprecht ad §. 17. Inst. de act.) contra hæredes ex dolo defuncti datur actio depositi in simplicum, etsi intra annum agatur; ex dolo verò eorum proprio, dum depositum negant (non enim ut Muller. cit. lit. n. indifferenter agi potest in hoc casu actione in du-

R. P. Leuw. Jur. Can. Lib. III.

plum, nisi dum depositarius ejusve hæredes negant depositum tale miserabile) datur in duplum. *L. 1. §. 1. §. l. 18. ff. h. t. Franzk. ad ff. h. t. n. 105. Lauterb. §. 28. Muller. l. c. lit. §. & n. ubi etiam, quòd hæc actio respectu depositi miserabilis sit mixta, partim rei persecutoria & pœnalis, eò quòd rem depositam & simul pœnam persequatur. Quòd verò non semper in hoc casu dicitur pœna dupli, inde est, quòd actor id non petat, vel quia istiusmodi homines perfidi esse solent pauperes; vel etiam quia Judex nescit. Muller. l. c. cum Brunem. Non tamen competit hæc actio depositi contra tertium, penes quem res deposita existat; quia est actio personalis, & competit tantum adversus eum, qui nobis ex hoc contractu est obligatus. Lauterb. §. 25. Sic non competit adversus eum, penes quem primus depositarius rem iterum deposuit custodiendam. *L. 16. ff. h. t.* tunc enim ait Lauterb. juxta cit. L. deponens agit cum primo depositario, ut actiones sibi competentes, intellige, contra secundum illum depositarium sibi cedat. Sic item non competit contra possessorem singularem, qui mutuo aut alio titulo res depositas recepit à depositario. *L. 8. C. h. t. Lauterb. §. 28. in fine. Muller. l. c. th. 40. lit. a.* Secus est de successore universali, utpote qui personam defuncti representat, ut Idem. Licitum tamen est deponenti ejusque hæredi res eas apud possessorem singularem existentes vindicare (intellige actione rei persecutoria) cit. l. 8. junctâ l. 8. C. ad exhibendum. Dari tamen etiam quandoque actionem depositi seu propter depositum ex *L. aquila* contra eum, qui causam dedit, quòd res depositæ ablatae sint à depositario, ait Muller. l. c. exemplificante hoc ipsum Brunemann. Poterit etiam actione depositi conveniri fidejussor, si quis intervenerit. Muller. l. c. juxta l. 1. §. 14. ff. h. t. ubi, dum dicitur, quòd actio depositi nascatur contra fidejussorem, antequam dolum committatur, intelligendum id esse de actione depositi, quæ tendit ad restitutionem rei; cum hæc statim nascatur factò deposito, ait Muller. juxta quod declarat Bartol. & Bald. in l. si stipulatus. §. qui lancem. ff. de solution.*

Quæst. 233. Ad quæ detur actio, depositi directa?

Resp. In hæc actionem venit res deposita cum fructibus & omni causa restituenda. *L. 1. §. 24. l. 38. §. 10. ff. h. t. Carpz. l. 4. resp. 55. n. 3. Lauterb. h. t. §. 30.* usura etiam seu interesse, quòd debetur ex mora, vel etiam quæ debentur ex pacto, non verò ex solo usu rei depositæ concessio. Lauterb. l. c. singula stabillens juris textibus, quem vide. In summa datur hæc actio ad omnia, ad quæ reddenda & præstanda deponenti obligatur depositarius. De quo vide dicta cit. preced. in hoc puncto de commodatario.

Quæst. 234. Quid sit actio depositi contraria, cui & ad quid ea competat?

Resp. primò: Actio hæc, quæ interdum etiam appellari solet judicium contrarium. *L. 5. ff. h. t.* atque civilis, bonæ fidei, rei persecutoria, nunquam pœnalis nec famosa. *L. 6. §. fin. ff. de his qui not. infam.* Lauterb. in ff. h. t. §. 40. ortum ducens ex hoc contractu, non principaliter & directè, sed secundariò & minùs principaliter, ut Idem, describi potest, quòd sit actio personalis, competens adversus deponentem depositario ejusque hæredibus ad indemnitàtem nomine depositi ab eo consequendam. cit. L. 5. h. t.

R 2

2. Resp.

2. Resp. secundò: Competit & conceditur ad omnè id, quod nomine seu occasione depositi depositario abest seu decedit. *cit. l. 5. Lauterb. §. 42.* quod tamen damnum in hoc iudicio contrario non æstimatur per iuramentum in litem. *cit. l. 5. Lauterb. loc. cit.* Sic itaque datur ad exigendas à deponente expensas necessarias, id est, tales, quas nisi fecisset depositarius, res deposita periisset, vel deteriorata fuisset (unde etiam in hoc casu retentio rei, usque dum hæc soluta, locum habet & licita est, etsi compensatio sit prohibita secundùm dicta supra; cum in genere eatenus admittatur ea retentio, quatenus quid in actionem depositi contrariam venit, quidquid enim contrario iudicio peti & obtineri potest, id etiam per retentionem servare potest, qui directo iudicio convenitur. *L. 18. §. fin. ff. commodati. L. 15. §. 2. de furt. Muller. loc. cit. th. 44. lit. C.*) non tamen ad expensas utiles tantum, nisi has fecerit de voluntate deponentis tacita vel expressa; cum enim eas facere non pertineat ad officium depositarii, iudicio contrario repeti non possunt. *Muller. loc. cit.* ubi etiam, quò depositarius tanquam utilis negotiorum gestor exposita à se ex pecunia apud se deposita in alimenta studia aliosve usus filii deponentis restituere non teneatur, nisi id fecerit præter voluntatem deponentis. Sic etiam servus depositus dum depositario furtum fecit, datur hæc actio contra deponentem ad damnum hoc resarciendum depositario. *L. 31. ff. de pignor. Act. Lauterb. §. 42.* idque, etiamsi deponens ignoraverit, servum esse furem; cum deponens etiam ex levissima culpa teneatur. *Lauterb. loc. cit.* Item datur hæc actio ad restituendum damnum, si quod passus depositarius ex eo, quòd res vitiosa apud eum deposita. De quo vide dicta quòd ad hoc de commodatario.

Quæst. 235. An & que actioni depositi directæ opponi possint, & morari executionem?

Resp. Cùm causa depositi summaria sit, & paratissimam executionem habeat, celeriterque causâ summaria cognita sit procedendum, & restitutio faciendâ. *L. 11. C. h. t. Menoch. de arb. l. 2. centur. 2. cap. 184. Wesenbec. conf. 26. & alii, quos citat & sequitur Muller. cit. th. 44. lit. C.* nisi fortè ipsa probatio depositi majorem indaginem exigat; v. g. faciendâ per testes; tunc enim requiritur processus ordinarius. *Ruland. tr. de commiss. l. 4. p. 4. c. 4. num. 35. Muller. loc. cit.* cum examen testium fieri nequeat sine solenni processu, hoc est, sine libello & litis contestatione. Idem cum Boër. *in c. venerabilis. de exceptione. n. 70.* exceptio non numeratæ pecuniæ, aut rei non traditæ contra instrumentum depositi in hoc iudicio directo depositi locum non habet. *Coler. de process. execut. p. 3. c. 1. a num. 23. Muller. loc.*

cit. Lauterb. §. 37. qui tamen ait, hoc ipsum non sine ratione de jure civili in dubium revocari à Bachov. & aliis; dum volunt Judicem jure civili ex tali instrumento, quod tantum vim probationis habet, non posse adhuc sine libello & sententia procedere ad executionem. De cetero deponenti ad impediendam celerem executionem opponi non potest exceptio dominii, & quantio moveri, num sit dominus rei depositæ nec no. *L. 1. §. 39. ff. h. t. Klock. vol. 1. conf. 47. num. 9. Muller. loc. cit.* nisi tamen Judex hanc exceptionem ad probandum admisserit, aut deponens passus sit eam in iudicium deduci, & litem desuper contestari, ut Idem cum Trentacing. *iii. depositi resol. 1. num. 4.* uti etiam depositario, dum is se Dominum rei dicit, & ad id probandum in continenti aut ad breve tempus illud ei indulgendum dicit, citato pro hoc Menoch. *de recuper. possess. remed. 1. num. 119.* Neque rescriptum aliquod moratorium opponi potest actioni depositi. *Freundeb. tr. de rescrip. moral. tit. 7. concl. 39. num. 1. §. 15. Trentacing. Caroc. & alii, quos citat & sequitur Muller. loc. cit.* nisi fortè depositum sit fictum & simulatum, præfixo illi hoc nomine, ut majoribus fruatur privilegiis, dum reipsa est alius contractus; v. g. mutui. *Mull. citans Cuchum tr. de morat. prescrip. n. 80.* Neque depositum arrestari, aut per tertium denunciatione seu inhibitione ejus restituito impediiri potest. V. g. Titio creditore deponentis dicente: prohibeo ne Caro reddas illud, priusquam is mihi solverit; sed hæc inhibitione non obstantè res illico & occisimè restituenda deponenti. *Novell. 88. c. 1. auth. sed jam cautum. C. depositi.* modò is caveat seu satisdet, ut Cujat. *ad cit. Novell. Mull. loc. cit.* Potest tamen propter debitum deponentis executio rei judicatæ in res penes alium depositas & in eum finem dicta inhibitiõ fieri à Judice. *L. 15. §. 12. ff. de re judic. Mull. loc. cit.* cum Salgad. *in Labyrinth. Creditor. p. 1. c. 2.* & sic, si inhibitiõ judicialis facta & tendit ad executionem rei judicatæ valet. Quadrimestrum verò illud, quod aliàs miserationis gratiã indulgetur. *L. fin. C. de execut. rei judic.* non datur depositario ad reddendum depositum. *Costal. ad l. 1. ff. h. t. Treutler. vol. 1. d. 26. th. 7. lit. C.* nisi depositum sit irregulare, & usus rei depositæ concessus; tunc enim omnis dilatio deneganda non est *Muller. loc. cit.*

Quæst. 136. Quomodo depositum finitur?

Resp. Finitur mox à revocatione facta per deponentem, quæ revocatio ab eo fieri potest, quodocunque ei libuerit, & eã facta statim depositarius restituere tenetur. *L. penult. C. h. t.* Item expirat mox, ac res deposita casu fortuito perit apud deponentem. *Muller. loc. cit.*
in fine.